

LOCH UACHTAIR Ss. Trinitas

id est: Lacus Superior. — Insula Ssmac. Trinitatis in Lochuachdair, -wattair, -woctir, -cauchair, -uarchtair. Logh Oghter in the Brenie, in the Breifne, Brefne, The Breiffne. — Anglice: Lough Oughter, Holy Trinity Island. Vitetur confusio cum praecedenti, ut accidit apud Waefelghem, et apud omnes qui dicunt eam fuisse abbatiam.

In insula lacus eiusdem nominis, in pago antiquitus dicto Breiffne, Co. Cavan, Dioec. Kilmore, Ulster.

Prioratus dependens a canonia Loch Cé. Secundum AConn, ALC et AFM „anno 1237 Clarus Mc Mailin coepit construere monasterium pro canonicis in Insula Ss. Trinitatis in Loch Uachtair, ex dono Cathal O'Rai-

<sup>50)</sup> Ille, praetendens se esse „professum Sti. Angeli de Castellis, Praem. Ordinis, Policastrensis dioecesis in Italia“, fit abbas in Loch Cé post mortem Roderici O'Carraid. Atqui tale monasterium Ordinis in Italia numquam exstitit, canonia autem, quam revera habebat in dicta dioecesi, vocabatur Sti. Petri de Camerota (vide in vol. I p. 383, et articulum N. BACKMUND in Anal. Praem. XXVII, 1951, pp. 149/55). Mauritius obtinuit confirmationem, quae vero anno 1444 propter falsas indicationes, tamquam subreptitia annullatur. Thady Mc Diarmada, qui iam diu resignaverat, videtur tetendisse Romam, probabiliter ad accusandum intrusorem. Ibidem de novo nominatur abbas, sed paulo post Romae moritur. Confer cum casu praesenti casum abbatis Andreae Lauderdale de Dryburgh (Circ. Scotiae)

<sup>51)</sup> Non fuit membrum Ordinis ante electionem. Anno 1484 ipse fit insuper abbas commendatarius de Ballysadare O. S. A. (P. L. XIII 179)

<sup>52)</sup> Secundum auctorem illum, Bernardus archidiaconus Elphinensis et abbas de Loch Cé, interfuit synodo Tuamensi anno 1660. Anno 1668 se praesentat Visitatori Apostolico (Documentum apud Rev. D. Connellan, Kilglass). Probabiliter Bernardus iste erat abbas mere titularis, sicut John Dooley, abbas de Cill na Manach anno 1650, de quo vide supra. Attamen hinc inde constat in Hibernia, saeculo XVII in ruinis monasteriorum adhuc vixisse religiosos.



gillig<sup>53</sup> nobilis viri et toparchae. Nihil dicitur de ordine et de origine horum canonicorum, sed videtur esse possibile, eos iam fuisse Praemonstratenses ex Loch Cé. Iidem Annales habent ad annum 1250: „Candidi canonici Ord. Praem. translati sunt brevi ante Nativitatem Dni. ab Insula Ss. Trinitatis de Loch Cé, in Insulam Ss. Trinitatis de Loch Uachtair in Brefne, et canonici Ordinis ibidem instituti sunt de consensu Cathal O'Ragaillig, qui donavit locum in possessionem.“ Adjungunt ALC verba satis obscura: „... et idcirco Clarus hoc fecit in Domino, quia Praemonstratenses gaudeant consimili privilegio cum monachis, ita quod ad ullam aliam religionem postea transire possent.“ In praefatione de hac re iam sumus locuti.

Quidquid sit, hoc primum monasterium anno 1237 insufficienter videtur fuisse fundatum, vel fuisse intentum tamquam „cella“ tantum, donec ipse donator anno 1249 eam munifice auxit, advocata nova turba canonicorum ex Loch Cé. Exinde bene floruit domus, de qua nescimus, numquid umquam fuerit sui juris necne. Certum est tamen, eam inter prioratus dependentes a Loch Cé semper eminentem tenuisse locum. In Annalibus enim saepius designatur expresse tamquam monasterium, etsi in nullo indice Ordinis occurrat. Dum reliqui prioratus Lochcenses saeculo XIV, vel forte iam antea, interissent seu in simplices cellas fuissent reducti, Loch Uachtair substitit usque in finem. Saeculo XV quidem erat pauper, redditus annui Libras  $\frac{5}{4}$  non excedebant, ideo ut anno 1412 eius prior insimul obtinuerit parochiam de Tornregan, longe pinguiorem prioratui suo, in commendam ad vitam. Hoc tempore, status iuridicus eius erat disputatus. Eodem anno 1412, legimus in P. L. VI 231: „prioratus est absque cura parochiali, non est dignitas, non est prioratus conventualis, nec habet jus electionis, dependet a Loch Cé, et solet gubernari a canonicis illius ad nutum abbatis. Valor non excedit 5 marcas.“ Anno 1444 vero ut prioratus conventualis agnoscitur a Curia Romana, et provisio novi prioris ab abbate facta, ab illa pronuntiatur invalida, quia ipsa abhinc provisiones huiusmodi voluit sibi reservare<sup>53</sup>). Revera tamen hoc tempore certe a paucis tantum religiosis erat occupata. Anno 1427, prior sibi procuravit indulgentiam ad ecclesiam suam restaurandam. Versus finem saeculi XVI, familia O'Raigillig (O'Reilly), quae in ecclesia eius suam habebat sepulturam, et sub cuius tutela semper steterat, in vanum omnia fecit ad salvandum monasterium. Anno 1585 fuit suppres-

<sup>53</sup>) P. L. VII 429 et saepius. Haec tamen subreptitiae videtur fuisse obtenta a familia O'Sheridan, quae prioratum voluit sibi reservare in haereditatem. Quae gens revera per integrum fere saeculum hoc munus occupavit, et nominationes aliorum, per abbates annis 1421 et 1444 factas, cum successu per machinationes suas apud Curiam Romanam ad irritum fecit.

sum, sed probabiliter, ut in Loch Ce, hoc non statim fuit eius finis. Anno 1646 Mgr. Massai, secretarius Nuntii Apostolici, visitando canoniam, iam invenit eam in ruinis. Modica rudera ecclesiae, amoenissime sita, hodie adeo cooperta sunt hedera, ut muri vix discerni possint. Pulchra porta romanica ecclesiae nunc vestiario ecclesiae cathedralis Kilmorensis (nunc acatholicae) est apposita.

Litteratura: supra apud Loch Ce notata fere integra etiam sese refert ad hunc prioratum. Specialia: HUGO II 983 — Ann. Clonmacnoise (ed. D. MURPHY 1896) p. 243 — *De Annatis* I 240, 247, 244, 250 — ARCHDALL 42 et passim — *C. St. P. Eliz.* II 452 — COTTINEAU 1660 — *Fiants Eliz.* 1681, 4025, 4923 — GRATAN FLOOD 629 — *Journ. of the Breiffne Antiqu. and Histor. Soc.* I 192 — KIRKFLEET 159/63 — KNOX 274 — MORAN ARCHDALL I 70 — O'CONNELL 247/48, 249/89 — P. L. V/VII, IX/XIII — WARE 193 — WARE HARRIS 272

Series Priorum

John O'Cullinan	1390	P. L. V 107
Mauritius Odulmean	† 1412	ibid. VI 231
Joannes O'Sheridan 1 <sup>o</sup>	1412—	ibid. IX 425
Araltheus Ocathalaan	ca. 1421—27 <sup>54</sup> )	ibid. VII 505
John O'Sheridan 2 <sup>o</sup>	1427—44, res.	ibid. VII 516, IX 425
Lucas Mc Gallgaile	1444, res. vel depos.	ibid. IX 429
Fergal O'Sheridan	1444-66 depos.	ibid. XII 513
Malachy O'Sheridan	1466—	ibidem
William O'Sheridan	1491	ibidem XIII 372
Rory Mc Dermot prior commendatarius	1542/68	O'Connell l. c.

TUAM Ss. Trinitatis

Tuain, Tuaum, Thome, Thuam, Toam, Tome, Toome  
Oppidum cum sede archiepiscopali in Com. Galway, in pago Connacht.

<sup>54</sup>) In P. L. VII 193 dicitur eum per abbatem Congallum anno 1421 munus suum simoniace obtinuisse, inde est depositus.

Historia foundationis huius abbatae, in Circaria primariae, satis est ambigua. Videtur esse fundata a Domnaldo quodam rege<sup>55</sup>), inter annos 1170 et 75 tamquam filia abbatae Steinfeldensis in Rhenania<sup>56</sup>). A plebisque confunditur cum Capitulo Cathedrali Tuamensi, quod tamen spectabat ad Arroasienses. Ex epistola Gervasii scimus, hanc canoniam iam existentem, e Praemonstrato fuisse reformatam<sup>57</sup>). Waraeus dicit fundatores fuisse nobiles de Burgo, Grattan Flood putat, Wilhelmum de Burgo, qui obiit anno 1205, anno praeterito fundasse canoniam nostram. Quod veritati concordare nequit.

Primo decennio saeculi XIII, Connacht maxima versabatur in confusione, belloque civili continuo erat lacerata. Anno 1203 oppidum Tuam est dirutum, et ideo fundatio Domnaldi, canonicis rhenanis paulatim mortuis, videtur fuisse collapsa. Richardus de Burgo, filius Wilhelmi supradicti, ab anno 1215 haereditatem patris adiit, et bona extensa in Connacht adeptus est. Ille probabiliter canoniam collapsam restauravit, reformationem eius insinuavit, dotationem eius adauxit, et ideo iure merito tamquam secundus eius fundator potest designari.

Filiae eius erant Enach Duin, quo forte secessit pars minus sana conventus post reformationem, et Baile Mor, ubi videntur degisse moniales, quae cum Steinfeldensibus e Germania probabiliter advenerant. Vide de hisce coniecturis supra in praefatione, et suo loco sub coenobiis supradictis. Clarum Mc Mailin partem aliquam habuisse in secunda fundatione, probari nequit, sed est possibile, eum fuisse impulsus per eam ad propagationem Ordinis. Tuam habuit ecclesiam incorporatam et administratam, quae forte initio erat prioratus: Gaillimh sive Galway, de qua vide infra sub dubiis. Anno 1244 canoniam combusta est. De putativo abbate Joanne Kieran, martyre, vide supra in praefatione. Anno 1578 bona

<sup>55</sup>) Quod constat ex Necrologiis Praemonstrati et Floreffiae (v. infra). Probabiliter hic Domnaldus est idem ac Domnall, filius Toirdhebach Ua Conchobhair, regis Hiberniae. Domnall ille, qui obiit anno 1176, numquam erat vere nominis rex, sed habuit titulum „Domini de Connacht septentrionali“ (AFM), et omnino fieri potest, eum, ut filium regis, lato sensu titulo regis a quibusdam fuisse insignitum.

<sup>56</sup>) Quod scimus ex traditione illius abbatae praeclarae, quae ceteroquin varias fundationes fecit in exteris regionibus. Terminus post quem pro fundatione sunt Epistolae Praepositi Udalrici (1152—70, ed. F. W. ROTH, vide in Vol. I 194). Praepositus iste Steinfeldensis commercium habuit in illis cum omnibus filiis canonicae suae, praesertim cum longinquis. De Hibernia ne verbum quidem dicit. Terminus ante quem est annus 1176, quo obiit Domnaldus. Insuper Steinfeldia ante hoc annum semper, postea vero non amplius fundationibus suis turbam monialium adiunxit.

<sup>57</sup>) cf. tenorem huius epistolae supra in praefatione. Qua reformatione, petente ipso conventu peracta, canoniam submissa est paternitati ipsius archicoenobii.

canoniae ab Elisabeth regina data sunt civitati de Athenry. Anno 1791, ruinae superstites sunt subversae, nihil igitur de ea superest.

Litteratura: HUGO II 985 — WAEFELGHEM 265 — HUGO, SAM, *Ep. Gervasii* nr. LXXIII. Cf. KIRKFLEET 261 — ARCHDALL 298, 800 — MORAN/ARCHDALL II 226 — ARMSTRONG 89 — *Calendar of the Justiciary Rolls of Ireland, Edward I* part. 2 (London 1914) p. 14 — COTTINEAU 3229 — D'ALTON H. A. T. I 210 — *Fiants Eliz.* 2378, 3419 — GRATTAN FLOOD 626 — GROSE, *Ireland* I 64 (cum imagine ruinae anno 1790) — KIRKFLEET 152/53 — KNOX 274 — LEWIS II 600 — O'CONNELL 244/45 — P. L. IV 294, 246, 407, 461, V 335, 452, 612, VII 133, 134, X 430, 474, 557, XII 43, 75, 79, 87, 90, 328, 560, XIII 656 — *Cal. Pat. Rolls, James I.* 5 Dec. 8 — WARE 111 — WARE HARRIS 219, 254 — BARBIER, *Obituaire de Floreffe* (AHEB XIII 1876), 2a octobris: „Commem. Dommalli regis, fundatoris ecclesie de Tuain in Hibernia“ — J. EVERS, *L'Obituaire de Prémontré, Anal. Praem.* I 1925, eodem die: „Commem. Domnalli regis, fundatoris unius abbacie nostri ordinis in Hibernia“.

Series abbatum

Gilla Christ Ua Lachtain	an. 1251 in mare submersus	Ann. Conn., et Ob. Praem I. 22. VIII.
Ua Giolla Raighin	† 1256	ibidem
N. Mac Gallgalaid	† 1355	ibidem
Macarius postea abbas in Loch Cé	— ca. 1381	P. L. IV 246
Patricius	1399	P. L. V 335
Jacobus	—1419	P. L. VII 134
William O'Gillamyn	1419—	ibidem
David	1451, 1467	P. L. X 557, XII 328
Petrus (Wilhelmus?) Birmingham	1468—79 <sup>58)</sup>	P. L. XII 328
Maurus Ockacualua	1479—	P. L. XIII 656

Nota. „Domnus Henricus abbas S. Trinitatis“, qui occurrit in Ob. Praem. I ad diem 3a Ap ilis, forsitan pertinet ad hanc abbatiam.

<sup>58)</sup> P. L. XII 328: Petrus Birmingham successor abbatis David. Eodem fere tempore nominatur Wilhelmus Bermecham commendatarius ad vitam. Probabilis est idem, nisi forte prior renunciaverit in favorem cuiusdam laici propinqui.

WOODBURN B. M. V., postremo Ss. Trinitatis

Wt-, Wod-, Utburne, Gutburyn, Goodborn, -burn, Woddeborne, Uytburn, St. Mary's Abbey. Anglicum est nomen hoc, designatio gaelica ignoratur.

In catalogis Ordinis nostri, occurrit tantum sub voce Grafergos (Gracfergos, Grafexgos, Grafex), id est Carrickfergos, gaelice pro: petra Fergi. In documentis Cracfergos, Krakfergush.

In dextera ripa rivi Woodburn, non longe a mari et ab oppido Carrickfergos, in pago Antrim, Dioc. Connor, Ulster.

Abbatia, fundata ut videtur, ut modicus prioratus ab abbazia Dryburghensi et Joanne de Courcy equite, circa annum 1200 vel ante, apud ecclesiam BMV. in Carrickfergos. Wilhelmus quidam prior de Cracfergos iam occurrit anno 1180. Forte fundatio Dryburghensis iam ad illum annum ascendit, sed probabilius, ut elucet e Registro de Furness<sup>59)</sup> domus haec fundata est tamquam abbatia Cisterciensium „de Carricke“, peracta hoc anno 1180, a Magnello Makenlefe. De Courcy deinceps, circa annum 1200, transtulit Cistercienses in Iniscourcy, in Carrickfergos illis substituens Praemonstratenses ex Dryburgh, eodem enim tempore, quo videtur initium posuisse vicini monasterii de Dieulacresse, cum quo Carrickfergos-Woodburn erronee pluries identificatur. Certum est, post expulsionem Joannis de Courcy ex Ultonia, anno 1205, monasteria ab illo ibidem fundata maximis aerumnis fuisse vexata. Ambae foundationes Dryburghenses in Antrim videntur elanguisse, saltem tribus primis lustris saeculi XIII. Secus enim non potuisset fieri, ut Abbas Generalis Gervasius Anglus, ceteroquin de statu Ordinis in exteris optime instructus, existentiam harum domuum circa annum 1215 adhuc plane ignoraverit<sup>60)</sup>. Carrickfergos quidem anno 1212, ut dicit Grattan Flood nullo allato fonte, ampliorem dotationem receperat ab Alano de Galloway, et in abbatiam erat evecta. Nihilominus pauper facta, elanguit. Circa annum 1220, Reginaldus, episcopus Connorensis, scribit ad regem Angliae, proventus monasterii adeo esse reductos, ut vix tres canonicos posset alere; provideat rex intendens in auxilium „abbati et canonicis“<sup>61)</sup>. Dein nil amplius audimus de monasterio Carrickfergos. De existentia tamen eius usque ad finem saeculi XIII non licet dubitari, quia insertum est in

<sup>59)</sup> REEVES 232/33

<sup>60)</sup> Fieri tamen potest, Gervasium eas quaesivisse in Scotia ipsa. Monasteria Hiberniae enim in pluribus Catalogis designantur tamquam „Circaria Scocie“. Hibernia adhuc saeculo XIII in continente pluries appellabatur „Scotia“, haud parva erat exinde confusio.

<sup>61)</sup> REEVES p. 274 epistolam hanc, nunc in P. R. O. Londini asservatam (Royal Letters), in extenso refert.

omnes catalogos Ordinis, inter annos 1240—1300 redactos. Forte paulatim desiit, vel ad statum prioratus est reductum, vel incorporatum abbatiae Dieulacresse, quae sola occurrit, et quidem ut domus opulenta, in taxatione dioeceseos anni 1306. Dein et illa disparet, et anno 1326 prima vice occurrit canonica „Wtburne“. Probabiliter irruente Scotorum rege Roberto Bruce, initio saeculi XIV, ut tot alia, etiam monasteria nostra Dieulacresse et Carrickfergus sunt eversa, et quidem tam funditus, ut non in eodem loco fuerint reaedificata in posterum. Auxiliante probabiliter familia scotica de Bisset, coadunata sunt deinceps in alio loco, medio sito inter ambo, in unam novam abbatiam Woodburn bona et iura amborum complectentem.

Woodburn, de qua sola in posterum fit mentio, administravit varias ecclesias incorporatas: St. Nicolaus in Carrickfergus, Loughans-Kildollagh, Antrim, Coole in Carmoney, Ballylinny, Ballyprior. Saeculo XV, videtur fuisse iterum aliquando destructa, quia legimus in Litteris Papalibus anno 1474: „monasterium B. M. V. de Wtburn, restructum sub invocatione SS. Trinitatis“<sup>62)</sup>. Disciplina tamen erat satis collapsa, quia, hoc eodem anno, abbas, expulsus ab intrusore iam a quinquennio, fit prior commendatarius de Ardullaid O. S. B., cum jure retinendi hanc commendam etiam postquam potestatem in canoniam suam recuperaverit<sup>63)</sup>. Anno 1542, abbas et canonici monasterium suum regi Angliae committunt ad supprimendum, ipsis permissio recessu in Ballyprior Island Magee, ubi ultimus abbas, anno 1565, adhuc erat in vivis. Anno 1556, aedificia adhuc erant intacta, sed paulo post annum 1558, et praesertim circa annum 1600, omnia subvertuntur. Anno 1604, bona, quae adhuc constabant 15 agris cum decimis, concessa sunt Arthuro de Chichester. Nihil omnino superest. Dum nuper in loco eius magna fabrica esset erecta, inventa sunt ossa, lapides sculpti et columnae, quae partim nunc asservantur in ecclesia Sti. Nicolai in Carrickfergus, nunc acatholica.

Fontes et Litteratura: HUGO I 569 — WAEFELGHEM 100, 254 (erronee, sequens Hugo et Lairuelz, collocat Grafergos in Norvegiam) — *De Annatis I Ulster* 139/40 — ARCHDALL 6, 7, 781 — *Armagh Archiep. Registers* (MS Arch. Archiep. Prot. in Armagh), *Reg. of Primate Cromer* fol. 27 — (G. BENN) *History of Belfast*, London 1877/80, p. 265. Delineatio fundamen-

<sup>62)</sup> P. L. XIII 419. Forsan autem haec „restructio“ non supponit destructionem praeviam, sed tantum erectionem novorum aedificiorum. De iterata translatione in alium locum, retento nomine, certe non agitur. Mutatio patrocinii B. M. V. in Ss. Trinitatis tamen innuit, relationes cum reliquis canoniis circariae tunc iam fuisse arctiores.

<sup>63)</sup> ibidem

torum de White Abbey, nunc deletorum — F. J. BIGGER, *The abbey of Holy Cross at Woodburn near Carrigfergus*, in: *Ulster Journal of Archeology* XIII nr. 1, Belfast 1907, pp. 174/81 — C. D. I., I nr. 799 — *Cal. St. P. Eliz.* V 257 — W. CASSIDY, *Holy Cross Abbey, at Carrickfergus*, in „*Irish News*“ 28/X/1937 — COTTINEAU 1301 — *Fiants Eliz.* 6620 — GRATTAN FLOOD 624/26 — INNES, *Liber B. M. U. de Dryburgh* (vide supra ibidem) LXXXVII — KING 61, 265 — KIRKFLEET 150/52 — Mc KEOWN, *The Abbey of Woodburn*, in: *Journal of the Down and Connor Historical Society* X (1939) pp. 56/60 — Mc FALL, in „*Irish News*“ 28/II/1907 et 30/X/1937 — S. Mc SKIMIN, *The History and Antiquities of the County of the Town of Carrickfergus*, 2a ed. Belfast 1909, pp. 162/64 — MORAN ARCHDALL I 11/13 — O'CONNELL 244 — O'LAVERTY, *History of the Diocese of Down and Connor* (Dublin 1875/95) III 4, 7, 67/69, 482 — P. L. VIII, X, XII, XIII cf. ind. — W. REEVES, *Ecclesiastical Antiquities of Down, Connor and Dromore* (Dublin 1847) pp. 61, 160, 232/33, 274/75, 277, 436 — P. ROGERS, *The suppression of the Monasteries in Antrim and Down*, in: *The Down and Connor Historical Societys Journal*, IX 1938, 33 — WARE 213 — WARE HARRIS 272 — R. YOUNG, *Historical Notices of Old Belfast and its Vicinity*, Belfast 1896, pp. 129, 263

Abbatēs et Priores

(ex fontibus, nisi specialiter indicantur, supra allatis)

- |                                       |                                     |
|---------------------------------------|-------------------------------------|
| 1. Carrickfergus                      | 2. Dieulacresse                     |
| Wilhelmus Prior? 1180                 | Joannes abbas ante 1257, 1276, 1279 |
| Abbas anonymus ca. 1220               | Anonymus abbas 1306, 1311           |
| 3. Woodburn (abbates)                 |                                     |
| Patricius 1454                        | P. L. X 676                         |
| Dermot Oconmuil (O'Connell)           | P. L. XIII 419                      |
| — ca. 1469, 1474                      |                                     |
| Bernardus Mc Caura 1527               | Reeves 160                          |
| Gillerath Mc Caura —1542, † post 1565 | ibidem                              |

DUBIA

Adnectimus hic ecclesias quasdam dependentes ab abbatiis supradictis, de quibus non constat numquid fuerint monasteria vere nominis.

CILL NA TRINOIDE SS. Trinitas

(id est: capella Ss. Trinitatis) — Kileena-, Killenaghtrinity.  
In parochia Kilbride, „in Killeen townland“ in Triwley, Dioc. Killala, Prov. Mayo.

Anno 1594, regina concessit Roberto Harrison „cellam in Killetrynode, fundatam per et pertinentem ad canonicos SS. Trinitatis de Loch Cé“. Archdall scribit: Invenimus cellam vel capellam vulgo Kileenatrynode in hoc pago, quae dotata est „with a quarter of land adjoining“. Postea unita fuit abbatae SS. Trin. de Loch Cé. Knox absque probatione autumat, hanc ecclesiam antiquitus fuisse appellatam „Teampull na gCail-leach Dubh“, id est: Ecclesia Monialium Nigrarum. Grattan Flood ex hoc iam concludit, Cill na Trinoide fuisse asceterium Praemonstratense sub paternitate abbatae de Loch Cé. Iam vidimus, hoc argumentum esse nimis debile. Si assertio Knoxii est vera, ex ea possumus concludere tantum, juxta ecclesiam nostram antiquitus extitisse asceterium quoddam celticum, quod a monialibus derelictum, „in posterum (ut dicit Archdall) traditum est abbatae Loch Cé“. Illa autem certe numquam moniales sui Ordinis ibi collocavit, quia, a Praemonstrato fundata, tales vix toleravit, et multo minus de novo fundavit. Sed fieri omnino potuit, eam in Cill na Trinoide habuisse cellam, vel ecclesiam a canonicis administratam. Neque in Annalibus, neque in Litteris Papalibus haec domus certe exigua occurrit, etsi patrocinium aliquomodo innuat, eam esse aedificatam a Claro Mc Mailin. Nihil de ea superest.

Litteratura: Fontes Ordinis nesciunt, item WARE — ARCHDALL 503 — *Fiants Eliz.* 5877 — GRATTAN FLOOD 631 — KNOX 274 — KIRKFLEET 164 et O'CONNELL 248 repetunt theoriam non fundatam Grattan Flood.

CILL RAISS SS. Trinitas

Cell Rass, Kilross, Kilruisse, Kilrasse

Prope Ballintogher in Com. Sligo, iuxta insulam Innisheskilleghan, Dioc. Elphin

Ecclesia dependens ab abbata Loch Cé, fundata simul cum Athmuige a Claro Mc Mailin circa annum 1235. Forsitan erat domus vere formata sicut Athmuige, sed authentice nihil constat. In P. L., saeculis XIV et

XV, saepius occurrit, sed absque connexionione cum Loch Cé vel cum Ordine nostro. Archdall dicit eam fuisse cellam, quod concludit forte ex *Fiants Elizabeth*, ubi legimus: conceditur anno 1594 Roberto Harrison „the ruined church called Kilrasse, with the island Innisheskilleghan, with lands belonging . . . parcel of the possessions of the monastery . . . of the Holy Trinity of Loghkeec.“ Nil superest.

Litteratura: Fontes Ordinis, sicut et WARE ignorant — ARCHDALI. 636 — WARE HARRIS 272 — GRATTAN FLOOD 629 — *Fiants Eliz.* 5877 — KIRKFLEET 159 — KNOX 274 — O'CONNELL 247 — P. L. VII et alibi, cf. ind.

GAILLYMH B. M. V.

Bun Gaillmhe, Bongal, Capella B. M. V. extra Muros — Anglice Galway, St. Marys on the Hill.

Civitas in pago eiusdem nominis, mari adiacens, Dioc. Enach Duin, dein Tuam.

In hoc loco fuisse antiquum asceterium celticum, a Grattan Flood negatur; et Knox dicens hic fuisse moniales Praemonstratenses, aperte errat. Ecclesia haec ditata fuisse fertur anno 1235 a familia O'Halleran, et tradita abbatiae Tuamensi, quae initio aliquos canonicos ibi exponere solebat. Anno 1727 quidam Doctor Hibernus sequentia retulit abbati Hugo annalistae nostro<sup>64)</sup>: „S. Maria Galviensis, coenobium olim Ord. Praem, nunc Ord. Sti. Dominici, filia Thuamae. Ad Dominicanos abiit postulante D. Bermingham, barone de Athenry. Hospitium primitus fuit Thuamensibus Norbertinis, Galwayensem civitatem potentibus. Deinde prioratus titulo gaudens, divino servitio mancipatos hospites habuit, utique Praemonstratenses, quorum memoriam perennat hodie vulgus prioratum istum patrio idiomate non aliter vocitans quam „Stam. Mariam Assumptionis Praemonstratensium“.

Ex Litteris Papalibus quidem elucet, saeculo XV ibi commoratum fuisse unum tantum vel nullum religiosum. Ita P. L. X 557: David abbas in Tuam O. Praem. anno 1451 rectorem capellae B. M. V. de Bongal

<sup>64)</sup> Doctor ille Nicolaus Anthony O'Kenny, protonotarius apostolicus, Doctor Sorbonicus, abbas tit. Enaghduensis (O. S. A.), Lovanii degens, duas paginas cum notis de monasteriis Hiberniae abbati Hugo transmisit, quae habentur nunc in B. P. Nancy MS 992/XI fol. 187. Sed Hugo illis non est usus. Multa certe continent erronea, sed supra dicta de prioratu Galway (1727) videntur esse aliqua fide digna, etsi „vulgus memoriam prioratus perennare“ non potuerit amplius, erat enim destructus anno 1652.

prope Galway removerat. Curia Romana iubet, sacerdotem quendam saecularem esse recipiendum in Tuam tamquam canonicum Ordinis, et illum huic capellae, quae ceteroquin omni valore caret, providere. Et P. L. XIII 93/94: Anno 1480 capella B. M. V. extra muros, quae valet 6 marcas, et quae solebat administrari a canonicis de Tuam O. Praem., tandiu vacaverat, ut plane nesciatur quare et quam diu, ita ut provisio eius exinde spectaverit as Stam. Sedem. Data est ab illa canonico cuidam alieno Ordini nostro. — Knox dicit eam fuisse traditam anno 1488 FF. Praedicatoribus de Athenry, a quibus (quod vix est probabile) iam anno 1494 concessa est FF. Minoribus de Galway. Anno 1652 a civibus oppidi est destructa, ne obsessores Angli ea uterentur (Burke)

Litteratura: ARCHDALL 287 — WARE 108 — MORAN ARCHDALL II 213/14 — GRATTAN FLOOD 628 — KIRKFLEET 158 — KNOX 274 — O'CONNELL 247 — P. L. X, XIII — Th. BURKE, *Hibernia Dominicana*, Coloniae 1762, pp. 323, 325 — J. HARDIMAN, *History of the Town and of the County of the Town of Galway*, Dublin 1820, p. 270

#### RINN DUIN SS. Trinitatis

id est: peninsula munitionis. — Randon, Randoon, Randon. Deryndoyn.

In parochia Sti. Joannis prope Athlone, ad ripam lacus Loch Ree, in pago Roscommon.

Ecclesia aedificata in honorem SS. Trinitatis a Claro Mc Mailin, secundum Annales Hibernicos. Si assertionem „Registri Tichfeldensis“, in Hibernia fuisse 13 domus ordinis nostri, admittamus ut veram, forte haec ecclesia non secus ac Ath Muige et Gill Raiss, cum quibus simul enumeratur in Annalibus sub anno 1251, tamquam tertia decima domus erat cella de Loch Cé. Archdall quidem et alii auctores pluries citati nil referunt huiusmodi. Saeculo XV, ibidem erat domus Hospitalitarum Ord. Sti. Augustini, in honorem Sti. Joannis Baptistae, quae saepius in Litteris Papalibus occurrit. Adhuc hodie videntur in hac peninsula varia ruinae.

Litt.: ALC, Ann. Conn. — LYNCH II 302 — KIRKFLEET 277

SLIGO oppidum in pago eiusdem nominis, mari adiacens, in Connacht.

ALC enarrant sub anno 1245: „Castrum Sligo constructum est a Mac Muiris Fiŕ Gerald, Justiciario Hiberniae . . . quia Fedlim O'Connor iussus est, ut castrum construeret propriis suis expensis, et sumeret lapides et calcem de domo hospitali SS. Trinitatis pro constructione, etiamsi Ju-

sticiarius antea hunc locum donaverat Claro Mac Mailin in honorem Smae. Trinitatis.“ — Secus nil scitur hac de re (cf. Ann. Conn. ad ann. 1242, et Lynch II 302).

Susplicari licet, Clarum intentionem habuisse, secundum suum morem apud hoc hospitale domum vel saltem ecclesiam Ordinis erigendi. Sed videtur frustratus fuisse in hoc tentamine ab inimicis, probabiliter propter suam anglophiliam. Anno 1442, Loch Ce possidebat ecclesiam incorporatam jure patronatus, quam probabiliter interdum canonicis suis administravit: Mynbrigg, sive Sligo „inter duos pontes“ (P. L. IX saepius, cf. ind.). Numquid aliquid commune habeat hoc templum cum narratione supra allata, cum certitudine asseri nequit.

#### PRAETERMISSA

CLONDRUMALIS prope Larne, Co. Antrim, in monte Drumalis. Secundum Can. J. O. HANLON, *Lives of Irish Saints* (Dublin 1863) II 437 ibi fuerunt Praemonstratenses usque ad annum 1542. Censetur hoc esse errorem vel confusionem cum Woodburn, vel cum aliqua domo alius ordinis.

DUNBROTHY Co. Wexford, mari adiacens. Falso a GOOVAERTS IV 58, et a WAEFELGHEM 261 (qui insuper confundit eam cum Enach Duin) Ordini nostro attribuitur. Revera erat abbatia Cisterciensium praeclarissima, cuius ruinae adhuc exstant.

